

communi nomine Thespiadae dicti sunt. Hos decrevit in coloniam mittere A
 iuxta oraculi responsum, praefecto classis Iolao exercitu tradito: cui & The-
 spiadum & coloniae deducendae curam Hercules permisit. Ex quinquaginta
 liberis duo Thebis mansere, quorum progenies etiam nunc dicitur in ho-
 noris esse septem Thespijs, quos Demuchos appellant: posterii quorum, ad
 haec usque tempora ciuitatis habentur principes. Reliquis pueris, multis que
 praeterea voluntarijs ad aedificandam coloniam assumptis, Iolaus in Sardi-
 niam nauigans, priorem insulae partem, campestram scilicet tenuit, Iolaeam
 ab eo hodie quoque dictam. Eam regionem cultiorem, arboribusque fructife-
 ris uberem cum effecisset, bellicosam etiam reddidit. Ad eum enim haec insula
 fructuum copia celebrata est, ut Carthaginenses postmodum multa certami-
 na periculaque pro ea subierint potiunda. Sed de his suo loco dicitur. Iolaus
 colonia condita, cum e Sicilia Daedalum accersisset, eam pluribus praclaris
 operibus, quae nunc usque permanent, atque ab artifice appellatur Daedalia, ex-
 ornauit. Gymnasia insuper magna erexit, ac sumptuosa. ludicia quoque, ac ce-
 tera quibus ciuitas diuturnior esset ac felicior, instituit: populos a suo nomi-
 ne, Thespiadibus qui eum ut patrem colebant, hunc honorem concedenti-
 bus, Iolao appellauit. Nam propter illius in se ut parentis officia ad eum
 dilexere, ut ipsum genitoris cognomine uocarent. Quo accidit, ut qui post-
 modum sacra ei Deo facerent, Iolaum appellarent patrem, quemadmodum
 Perseus Cyrum. Rediens deinceps in Graeciam Iolaus, inque Siciliam nauigans,
 aliquandiu permansit in insula. Quo tempore plures qui cum eo accesserant,
 capti locorum amoenitate, Sicanisque permixti, in insula remansere, summo
 ab incolis honore accepti. Iolao, cum gloria praclarus esset, multaque diuersis
 in locis sui reliquisset beneficij monumenta, & templa & deorum honores
 plures ei ciuitates tribuere. Verum in ea colonia mirabile quid dicitur acci-
 dit. Responsum enim a Deo datum est, eam coloniam perpetua in liberta-
 te fore: quod nostra ad usque tempora uerum constat fuisse. Nam eius urbis po-
 pulus, increbrescentibus in ea temporis diuturnitate, qui colonos nume-
 B
 ro superabant, barbaris, ipse quoque barbarus effectus, se ad montana aspe-
 raque contulit loca: ubi habitaculis terrestribus humo effossa, lacte ac carne ar-
 mentorum, quorum plurima apud eos erat copia, uitam ducentes, procul a
 bellorum discrimine aberant. Itaque & Carthaginenses postea & Romani fru-
 stra eos armis saepius appetiuere. Verum ad Herculis acta proxima superio-
 ribus reuertatur oratio. Cum is omnia absoluisset certamina, Megaram uxo-
 rem Iolao propter parentis erga liberos suos officia, concessit: existimans am-
 pliუს ex ea liberos suscipere, calamitosum fore. Ad prolem uero procreanda,
 alteram minime suspectam quaerens, Iolem Eurythi filiam in Oechalia domi-
 nantis petijt: qui Megarae repulsam ueritus, super eo matrimonio se consul-
 turum respondit. Hercules frustratus sponfa, iniuriaque motus, Eurythi abe-
 git equos. Iphiclus Eurythi factum, ut erat, suspicans, cum ad equos inuesti-
 gandos in Tyrinthum uenisset, iussus est ab Hercule turrim quandam altam
 ascendere, speculatum sibi forte equi pascerentur. Sed cum nullos aspice-
 ret, dicens falso culpatum se furti, Hercules de turri praecipitem Iphiclum de-
 dit. Ob huius mortem Hercules in morbum cum incidisset, in Pylum ad Ne-
 leum profectus est, hortans ut se mundaret a caede. Hic cum filios consuluis-
 set, omnes praeter Nestorem iuniorem, minime purgandum esse censuerunt.
 Tum Hercules ad Deiphobum Hippolyti filium adiens, ut purgaretur su-
 fit. Sed cum nequaquam sanari posset, deque morbi cura Apollinem consule-
 ret, responsum est, facilem eius ualitudinis curam fore, si iusto uenderetur
 precio: pecuniaque exinde redacta, Iphicli liberis daretur. Coactus igitur ora-
 culi responso parere, cum quibusdam amicis in Asiam nauigans, sponte sua
 a quodam ex amicis uenundatus, seruus Omphale uirginis factus est, filij
 Iardanens,